

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Scena Prima.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

P H O R M I O

Neque mi in conspectum produit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quid ue sit sententiæ,
Abi tu, uise redierit ne iam, an nondum, domum.

Ge. Eo. De. uidetis quo in loco res hæc fiet:

Quid ago? dic Hegio. He. ego Cratinum censeo,
Si tibi uidetur. De. dic Cratine. Cra. me ne uis?

Te. Cra. ego, quæ in re tuâ sint, ea uelim facias. mihi
De. sic hoc uidetur. quod te absente hic filius

Egit, restitui in integrum æquom est, & bonum:
He Et id impetrabis. dixi. De. dic nunc Hegio.

Ego sedulo hunc dixisse credo: uerum ita est,
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.
Mihi non uidetur, quod sit factum legibus,

Rescindi posse: & turpe inceptu est. D. dic Crito.

Cri. Ego amplius deliberandum censeo:

Res magna est. He. nunquid nos uis? D. fecistis probe:

Incertior sum multo, quàm dudum. Ge. negant
Rediisse. De. frater est expectandus mihi: is

Quod mihi dederit de hac re consilium, id exequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.

Ge. At ego Antiphonẽ quærã, ut, quæ acta hic sunt, sciat
Sed eccum ipsum uideo in tempore huc se recipere.

ACTVS TERTII, SCENA PRIMA.

ANTIPHO, GETA.

A. Nimuero Antipho multimodis cum istoc
e animo uituperandus es.
Ita ne hinc abiisse, & uitam tutandam
dedisse

dedisse alijs tuam?

Alios tuam rem credidisti, quàm te, animaduersuros magis?

Nam, ut ut erant alia, illi certe consuleres, quæ nunc tuæ est domi:

Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali: Cuius nunc miseræ spes, opesq; sunt in te uno omnes sitæ.

Ge. Equidem heere nos iam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.

An. Te ipsum quærebam. Ge. sed ea causa nihilo magis defecimus.

An. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res & fortunæ meæ?

Nunquid patri subolet? Ge. nil etiam. An. ecquid spei porro est? G. nescio. An. ah.

Ge. Nisi Phædria haud cessauit pro te eniti. An. nihil fecit noui.

Ge. Tum Phormio itidem in hac re, ut in alijs, strenuum hominem præbuit.

An. Quid is fecit? Ge. confutauit uerbis admodum iratum patrem.

An. Heu Phormio. G. ego, quod potui porro. An. mi Geta, omnes uos amo.

Ge. Sic sese habent principia, ut dico: adhuc tranquilla res est:

Mansurusq; patrum pater est, dum huc adueniat.

An. quid eum? Ge. aiebat,

De eius consilio uelle sese facere, quod ad hanc rem attinet,

An. Quantus metus est mihi, uenire huc saluom nunc patrum Geta:

Nam, ut audio, per unam eius aut uiuam, aut moriar
sententiam.

Ge. Phædria tibi adest. An. ubinam? Ge. eccum à sua pa-
lestra exit foras.

ACTVS TERTII SCENA II.

PHAEDRIA, DORIO, ANTIPHO,
GETA.

Ph. Orio, audi obsecro. Do. non audio. Ph. pa-
d rumper. Do. quin omitte me.

Ph. Audi, quod dicam. Do. at enim tædet iam
audire eadem millies.

Ph. At nunc dicā, quod lubenter audias. D. loquere, audio.

Ph. Nequeo te exorare, ut maneat triduum hoc? quò nunc
abis?

Do. Mirabar, si tu mihi quicquam afferres noui.

An. Hei, metuo lenonē, ne quid suo suat capiti. Ge. idem
ego metuo.

Ph. Non mihi credis? Do. hariolare. Ph. sin fidem do. Do.
fabulæ.

Ph. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. Do. logi.

Ph. Crede mihi, gaudebis facto: uerum hercle hoc est. Do.
somnia.

Ph. Experire, non est longum. Do. cantilenā eandē canis.

Ph. Tu mihi cognatus, tu amicus, tu parens. Do. garrus
modo.

Ph. Adeo ne ingenio esse duro te, atque inexorabili,
ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?

Do. Adeon' t. esse incogitantem atque impudētē Phædria,